

MAGNALIA
GUSTAVI PRIMI,

MAGNI ILLIUS SVECOR. GOTHOR.

MONARCHÆ

HISTORICO-POLITICE,

Non solum suffragio Ampl. FAC. PHIL.

In Almâ Acad. Aboënsi, sed & sub

PRÆSIDIO,

Viri Præclarissimi

DN. M. JOH. BERNH.

MUNSTERSI

Phil. Pract. & Hist. Prof. Ord. celeberrimi,

Præceptoris & Promotoris

sui optimi.

PRO HONORIBUS MAGISTERII,

Delineata & examini publico submissa,

â

S. R. M. Alumno

JONA MOLLIN,

In Auditorio Maximo

Ad d. si DEO videatur 17 Nov. M.DC.XCIV.

Impr. apud Jo. WALLIUM.

Den Ehbörne och Höwällärde Herren/
 Her JONAM MOLLIN,
 Då han jemwäl genom denne lärde
 Discurs sig til den hōsta ähra i werlj-
 lig Wisheet wärdig gjorde.

Kling-Dicht:

Du nu Diogenes än/ Inchtan sin vprändel/
 Och om en kuser dag så gjorde/ som han
 gjorde/

At han då sjselsam skul fråga om man sporde
 Af den sin Hog och Sinn til Wet och Wisdom
 wändel/

Och den ey stannat har/ för än han äntlig
 lände

Til Dngdzens inre rum/ och letat up den Ort/
 Där den som tröger är/ kan icke komma fordt/

Wist han bland olla här en Kärlig Wiser kändel/
 En Kärlig Wiser/ som sin Ewla wislig burie/

Och icke fält sit Mod wüd ödes swära stöter/
 Som lärde i mot och med sig tändligen at skick at/

MOLLIN: han skarpar her än Diamanten skurie
 All odygds dunckla glaas/ hwars usla steen
 doch blöter

Dem/ som ey näsin lärde af dygd den min-
 sta pricka.

i största host fattad
 af

ERNEST GESTRINIO.



Libularum ultima Tbuile, dicitur mortales alere, qui tadium concipiunt ex diutissima solis absentia, quod eos singulis annis per spatium quadraginta dierum, fastidiosis tenebris destituit, in montium itaque cacumina evadunt, ad primum aurora fulgorem, ut adventantem salutent milleni lætitiæ vociferationibus, & honorent deinde sacrificiis; ita sanè antiquiores Regni Sveogothici incolæ, tot infortuniorum, per multa secula, iactitari vorticibus; Orientem illum Sveciæ Solem, gloriosissima nempe memoriæ Regem ac Dominum, GUSTAVUM PRIMUM, votis expetere, gratulationibus, veneratione & infinitis exultationum signis excipere, meritò deberent. Si enim providentiæ divinæ nullibi clarius emicat, quam in universi gubernatione, & sapientiam humanam, nullibi plus admirationis mereri certum sit, quam in administratione Reip, maximè vero ubi ea vel de novo est instauranda, vel de

A

pri-

pristino delapsa splendore, necesse habere stabi-
 liri denuò; fateamur oportet vix unquam
 inter mortales plus & evidentius sese osten-
 tasse Numinis supremi providem curam,
 quam temporibus Tanti Regis, Cujus
 varia & tamen felicia fata, heroicis
 ausus, & pia instituta, miratur Polus alter
 & alter. Hunc certe invictum dixeris ob for-
 titudinem, Augustum ob virtutem; per Maje-
 statem enim exellebat inter Reges, potentia
 evasit glorioissimus, consilio sapientiam praefer-
 bat, & pietas justum predicabat, prae consorti-
 bus. Dum enim nubes densissime, antiquum at-
 que genuinum Svecorum obscurare visa sunt
 splendorem, Hic miranda prudentiae mare-
 riam praebeuit, ut à carissimo solo patrio hor-
 roridissimas illi incubantes tempestates, tempe-
 stivè aperteret. Quis enim qui grata non
 recolat memoriâ, quam feliciter invictissimus
 hic jamque caelestis Heros agonizantem Sveciam,
 jugo tyrannida, Christiernoll, pariter & haereseos
 Pontificie discusso, seditioibus belliæque civi-
 libus, quibus cives corridiè scindebantur, seda-
 tis, tanto restituit nitore, quantum vix ante
 eum natum unquam vidit eadem Patria; cum
 autem in illi tempora, cumulati videantur
 omnes casus, omniaque fata, intra quae rotari

solent imperiorum ac Reumpub: vicissitudines,
 Et facillime quoque, ex historia particulari,
 excellentissimorum conjuncta politicorum prae-
 ceptis, hauriri soleat civilis prudentia, oportere
 sane putabam, ut Phœnix hic Specia, qui re-
 nascitur quotidie gloriose in Regum potentis-
 simorum. (qui ipsi longâ serîe jam feliciter
 successerunt) inclytâ vitâ, etiam vivat in pia
 nostra memoria; quod cum desideramus, nonnulla
 Et quidem momenta primaria, ex gloriosissi-
 mis ipsius actû, historico politicè, pro talento in-
 genii trahere, nos manet sententia. Sic itaque
 in nomine Domini!

THESIS. I.

Gustavi primi vitam, inter alios
 quamplurimos, ita describit verita-
 tis candore, non minus quam do-
 ctrina celebris, ille rerum (vecicarum
 scriptor elegantissimus, Loccenius, ut
 primum faciat mentionem generis, de-
 inde acta vitæ totius & studia, tam ci-
 vilia quam bellica, ipsam, deniq; mortem
 exponat: quemadmodum ex ipsius Hi-
 storici verbis licet colligere. Antequam
 autem ad hæc ipsa dijudicanda nos con-

te-

4
ferimus, nonnulla de habitu atque con-
ditione Reipub: Svecanæ, ut præmitta-
mus fortè expedit. Anno nonagesimo
quinto supra millesimum & tricentesi-
mum, Fœminæ cuidam imperiosæ, Re-
ginæ Daniæ & Norvegiæ, Margaretæ
nomine, habenæ Regni Svecici commit-
tebantur & quidem his conditonibus,
ut *dignitates, munimenta, tribunalia, nullis aliis*
quã Sveonibus administranda traderentur. Ni-
hilominus tamen Danis suis, arces, pro-
vincias, & quidquid honorum tribuen-
dum erat, neglectis Sveonibus, con-
cessit. Et tandem Regna sua Eri-
co, sororis suæ filio commendavit. Hic
materteræ suæ vestigia pressè secutus
est, ut potius *torton* existerit patriæ no-
stræ quam *tutor*. Sane dici non potest,
quantum hæc regnorum conjunctio pa-
triæ nostræ nocuit temporib⁹ Caroli VIII.
Christierni I. Sturiorum, & Johannis
II. Omnes tamen cædibus, crudelitate
& immani tyrannide, multis antecessit
parafangis Christiernus II. Qui, quem-
admodum & cæteri ipsius antecessores
Dani,

§

Dani, nonnullorum Episcoporum aliorumque qui sub sveco pallio pectus gestabant Danum, æmulatione nefariâ, dolis, scelestis machinationibus atque muneribus, coronâ Regni Svetici occupavit A. M.D.XX. Et quamvis juramento, & subscriptione sanctissimè adfirmasset, quod religionem contra vim & injuriam quamcuncunque adfereret, omnes cujuscunque loci exules & captivos, gratiâ admissorum factâ, postliminio restitueret. Prisca Regni jura libertatē, mores & immunitates inviolatas Regno concederet. & cetera. Attamen tantū abest eundem hæc omnia servasse, quæ tam prompte pollicitus est; ut nulla sane species tyrannidis superesse possit, quam ille in Regni incolas non exercuerit; Episcopos, ac regni proceres, nobiles, consules atque senatores Holmenses, imo denique homines utriusque sexus & omnis ætatis, non simplici, sed crudelissimo mortis genere de medio sustulit, ut cruor pluvialibus aquis large decidentibus immixtus, per omnes fere canales in urbe holmensi, copiosissimè fluxe-

fluxerit. Et tandem mandatum edidit, ut quidquid nobilitatis Svecanæ superesset, neci tradetur, purgaturus hoc modo Regnum, sed purgatione Medicorum contrariâ, scilicet hi quidem deterrimum è corpore auferunt, Tyrannus autem quod optimum est Reipub: demit.

THESIS. II.

Atque in hæc tempora, felicissimè incidit singulare Gustavi I. ingenium: natus autem est hic Moses Svecorū Anno 1490 die 12. Maij Lindholmæ in Uplandia, ex prisca Regii sangvinis, sæper post Sturios illustrissima familia, Patre Erico Johannis de Ridboholm, Eqvite Aurato, Alandiæ Governatore, Regniq; senatore; Matre autem Cæcilia Magni Caroli de EKA Eqvitis aurati filia, celebri Sturiorum stirpe, Regis Caroli Canuti nepte. Quemadmodum autem peculiarem atq; divinum instinctū procul omni dubio, generoso huic pectori ab ipsa nativitate, pro æterna sua cle-

9
clementiâ omnino inſeuit cœleſtis illa
bonitas, atqve ita in ipſo æternitatis
conſilio decrevit hoc Herœe tanquam
inſtrumento aptiſſimo, uti in reſtituen-
do collapſo hocce imperio, cui etiam
omnia quæ ex humana prudentia non
pendent, fluerent ſupra votum, magis
quam fert ſveta in humanis caſibus va-
rietas; ita etiam ſub vitæ illius auſpici-
um voluit DEUS eundem commendare, in-
ſigni hoc caractere, ut caput recens
nati coronatum ſit naturali pileo, &
pectus rubra cruce notatum. Quod
non ſolum proſperitatis bellicæ & liber-
tatis imperii, ſed & veræ religionis ac-
ceptandæ tuendæqve omen fuiſſe cogi-
tare cœperunt curioſi ſecretorum inter-
pretes. Sæpius namqve obſervatum
eſt ejuſmodi inſignia, multa in reſſu
habuiſſe; ſic legitur de Tyranno illo,
quem in Theſi ſuperiori iam nomina-
minavimus, quod in utero materno le-
cus quam alias fert naturæ conſtitutio
ejulaverit, & circa natiuitatem, alteram
ma-

manum distentam, alteram vero in pugnum adstrictam extulerit, quam ubi obstetrix explicarat, cruore plenam deprehendit. Quod dum audisset ipsius Pater non dissimulans, sanguinis prodigium fore, vere proh dolor! augurabatur. Postquam autem Gustavus, non solum domi, sed & in aula Stenonis Sturii senioris splendide educatus esset, verum etiam Musis Upsaliensibus per quinquennium egregie vacasset, donec eximiam notitiam Historiarum sibi comparasset & insigniter in studio Eloquentiæ profecisset, postulantibus ita Reipub. fatis, in aulam Stenonis Junioris vocabatur. Et mox non sine vitæ discrimine obses mittitur, primum quidem Archiep: Gustavo **Trolle**/qui jam favebat partibus Danorum, & deinde Christierno II. Regi Danorum, dum tandem contra omne jus & fas gentium captivus in Daniam abducitur & in carcerem conjicitur.

THESIS III.

Quæritur hic non immeritò, quousq; sese obligatio erga patriam extendat? & num Gustavus posset hic cogi ad illud periculum & discrimen, si spontè non voluisset, subeundum? vel num aliquis civium, in summa necessitate, sævitiae hostis obtrudi possit, ut cæteri salventur? Omnes ferè mortalium tantam natalis soli dulcedine tanguntur, ut vix eosdem, longissimo licet terrarum intervallo distitos, sui immemores hæc esse sinat, illique tanto erga eam amore ducuntur, ut nihil tam grave censeatur, quod pro patriam perpeti, non justum putatur. Hinc fortunatam mortem pronunciat Cicero: quæ fit pro patriam. Cui debere dicimur, non tantum bona nostra, sed etiam maximam partem nostri. Partes autem ex quibus constamus duæ sunt, corpus & anima. Pro commodo Patriæ, quamvis sit maximum, nullus sane eò dementiæ progredi debet, ut animam suam periculis injiciat, vel perversionem Religionis, quam pro veram ha-

bet mutare, vel saltem dissimulare, aut
 verbis gestuque aliam præ se ferre possit;
 quilibet enim tenetur DEO conscientia
 puritatē præstare, & negligere præcepta
 cum lege atque nutu ipsius pugnantia:
 pluris namque est & esse debet salus
 æterna, quam temporalis. Majorem
 autem vim exercere videtur hæc eadem
 obligatio in corpus, & ea quæ salutem
 nostram temporalem concerunt: quam-
 vis enim non sumus Domini vitæ nostræ,
 ut in nostrâ situm sit potestate, hanc,
 quemadmodum alia nostra bona, nobis
 quandocunque placet exuere, ubi nulla
 prægnans necessitas nos ad id cogere
 videtur; ex lege tamen naturali vita
 nostra proximè ad nos pertinere cen-
 senda est. Nihilominus obligationem
 induimus, dum societatem inimus,
 parendi, pro usu Patriæ, summæ maje-
 stati, capeffendi arma, imò præsertim
 iusta, inque ea statione, ubi nos locavit
 superiorum potestas permanendi, quam-
 vis vel præsentissimum adfuerit vitæ
 periculum. Præterea urgente necessi-
 tate

te, nec illi, qui aliàs. peculiare ob causas
 insignioribus gaudent immunitatibus, à mi-
 litia publicisque oneribus immunes esse
 possunt, dum civitas alio modo tuta es-
 se nequit; Præstat namque ut illorum Privi-
 legia non nihil quiescant, quam ut tota
 civitas, obstinata quorundam absentia
 atque intempestivis privilegiis pereat.
Vocant extrema pericula cunctos. Ex his
 patet, quam impii atque iniusti fuerunt
 nonnulli Svecorum, in Regem suum Gu-
 stavum, qui, dum Ille non solum ad æ-
 ris alieni solutionem, sed etiam ad Rei-
 pub. sustentationem prædia quæ antea
 coronæ tributa sua pendere solebant,
 jam verò, perniciosam liberalitatem a-
 lieno parebant dominio, recepisset, &
 tolerabilia onera ab omnibus subditis
 exegisset; tumultibus intempestivis, que-
 relis, atque rebellionibus excitandis va-
 cabant. An vero aliquis citra pugnam
 morti sese offerre possit? Vel Ty-
 ranno alicui sese tradere teneatur, ut
 tota civitas conservetur? gravior atque
 difficilior est discursus. Extat tale

exemplum apud Libanium Tom. 1. de
 elam 27: Tyrannus ex urbe propinqua postu-
 lavit formosum adolescentulum, adjectis de
 bello inferendo, ni traderetur, minis; civitas
 autem maluit bellum tolerare, quam adolescen-
 tem tradere. Cum jam gravi obsidione eam
 premeret Tyrannus, pater adolescentis, inter-
 fecit eum filium de moenibus projecit, & mox
 soluta obsidione cædis accusatur. Unde doctis-
 simus ille Boæclerus, in comment. ad Hug.
 Grot: l. 1. c. 1. p: 95. ex hoc casu plu-
 rimas depromit quæstiones, primum
 scilicet; An civitas vitandi belli causa,
 libidini Tyranni hunc adolescentem tra-
 dere deberet? Deinde, An procedente pe-
 riculo, jam non evitandi belli, sed præ-
 sentissimi exidii causa, civitati id facere
 licuisset? Tertio, An civitas posset idem
 in adolescentem facere, quod Pater
 fecit? Quarto, An Pater rectius dedisset fi-
 lium, quam interfecisset? Porro, An posi-
 tâ Patris in filii, aut filii in suam vitam po-
 testate, num adigi vel ad mortem vel ad de-
 ditionem, alteruter vel uterq; potuisset?
 Vel deniq; an ludibrio vel probro, unius
 -quesa
 vel

vel alterius civium, salutem redimere
 publicam, in tali vel alio casu liceat?
 Plurimi quidem hæc omnia, sinè omni-
 bus ambagibus negant. Hisce potissi-
 mum ducti rationibus: quòd ubi nul-
 lum delictum, ibi nec ulla pœna, & sic
 consequenter, à nullo cive exigì debet,
 ut tantæ sævitiei sese offerat; Nec vi
 imperii suprema majestas hanc a-
 ctionem imperare potest, quia illud ha-
 bent Reges ex supremâ potestate divinâ,
 ut parentium saluti prospiciant potius
 quàm aliorum crudelitati tradant. Huc et-
 iam pertinet, quòd hostis possit uno cive
 accepto, etiam alterum expolcere, do-
 nec patria omnibus spoliatur. Quæ o-
 mnia sanè eruditè atque cordatè profe-
 runtur. Nihilominus tamen omni non
 carent difficultate. Nos quidem facilè
 concedimus nullum, nisi præsentissimi
 periculi atque certissimi excidii evitandi
 gratiâ deserendum esse, aut hostium po-
 testati relinqvendum. Hic etiam respici-
 dum esse putamus utrùm credibile sit illum
 qui ab hoste deposcitur alienæ libidini ex-
 poni,

poni, & ad nefaria atque scelestâ mi-
 nisteria, quæ æterna honestatis ratio
 damnat, operam suam adplicare adiga-
 tur; Tunc enim maximè impius esset,
 qui subditum suum hujusmodi nefan-
 dis actionibus commodaret; ideoque
 in citato casu, *Nec dedere potuit pater filium
 suum vivum, nec deditiorem ipsi imperare pos-
 set*: Nam ut dicit laudatus Bœclerus
 l. c. *Ad unius civis pudicitiam tuendam, bel-
 la pia & iusta geri, nulla ætas dubitavit*. Sin
 vero nihil nisi simplici morte functurum,
 vel alia quædam, quæ tamen conscien-
 tiæ vel honestati non sunt contraria,
 passurum fore illum qui deseritur;
 Tunc forte, si nullum aliud remedium
 huic extremo inveniri potest; parum
 abest quin statuamus summam potesta-
 tem, vi Domini Eminentis posse ta-
 lem delerere, *Melius enim est pro omnibus
 mori, quam cum omnibus*. Obsides vero
 quòd concernit, tum nullum dubium
 est de iis, qui spontè sibi persuaderi si-
 nunt, ut hoc onus lubeant. Sin autem hi
 de-

defuerint, adfirmant Politici, cogi posse illum, qui ab hoste desideratur. Aliàs optimum judicatur medium tollendis querelis, inter pares, per sortem illos nimirum deligere, qui ablegandi sunt ut obsides seruandæ fidei.

THESIS IV.

Diximus in thesi 2. Gustavum, quamprimum ad Christiernum Dan. Regem venit, in vincula, ut captivum conjectum fuisse; Sed desperatus ille casus, dispositionem etiam divinam tollere non potuit; Tempestivè enim factâ sibi veniâ liberius deambulandi. è custodiâ elapsus, infinitis ferè functus periculis, rursus in Patriam pervenit. Et cum adventû suum significaverat Dalacarlis, Rætvicensibus & Morensibus, etiam exposuerat immanissimâ illam crudelitatem, quam Christiernus in Patriam exercuit; Tum quot & quantis molestis casibus Sveci sub Danorum imperiis vexati fuerunt, opemq; suam in restituenda libertate & jugo excutiendo pollicitus erat,
modo

modò fidelem ipsi commodare vellent
 operam; Illi haud ægrè jure jurando
 fidem suam ipsi obstrinxerunt, ut
 brevi factus sit Dux mille virorum,
 qui numerus quoque indies augebatur,
 inclinante in partes Gustavi fortunâ, ut
 non dubitaret copias Danorum intrepidè
 aggredi. Quæri iterum hic potest,
 num Tyrannos aggredi liceat: & num
 rectè tantum ausus sit opus Gustavus?
 Obsequii jugum, sub auspicio regio con-
 stituto, excutere, injustum esse institu-
 tum, nemo negavit, qui Reges divinita-
 tis imagines vivas, potentiæq; divinæ
 dispensatores esse norit, quibus popu-
 los eâ lege submitit, ut sola id munus
 revocare possit, nullo in partem petesta-
 tis admissio. Et qui ductum scripturæ
 sacræ positentur, in eâ pessimè versan-
 tur, nisi didicerint, Principibus quantum-
 vis infidelibus, dextra DEI coronatis,
 æque ac cæteris parendum esse. A-
 pud Esaiam vatem, DEUS de Cyro Per-
 sarum Medorumque Monarchâ, rerum
 divinarum penitus ignaro ait: Vocavi
 te

te, quāvis me non cognosceres; Nomine tuo te appellavi, & in honorem potentiamque te exaltavi, licet nulla tibi esset mei notitia. Hinc volo ut oriens atque occidens sciant, quod ego is sum, qui te constitui, adeoque nemo gubernatorum in terra inveniatur, qui suam potentiam à me & ex manu mea non acceperit. Eādē ratione de Nebucadnesare, qui omnium pessimus Tyrannus, cæterisque principibus à condito mundo nequior, post patriam DEI dilectissimam conculcatam, urbem Hierosolymam obsessam, captam & exspilatam, ædificia prostrata, muros dejectos, templum dirutum, sanctuarium prophanatum, vasa cultui divino destinata, rapta & ablata, liberos Regis cum maxima parte Sacerdotum, ad sacra excubantium trucidatos, reliquis in servitute babyloniam abductis: Denique post statuam suam in cultum divinum erectam, dicitur apud Jeremiam & Baruchum Prophetas, quod honor ipsi à DEO collatus sit, ad regendas nationes

nes. Et quicumque sese non submisisset Nebucadnezari, illum pollicetur se DEUS percussurum gladio, fame & peste; jubet quoque idem sanctissimum Numen, ut preces fundantur pro Nebucadnezare & filio ejus Balthasare. Quæ cum ita sint, in potestate mortalium non est situm, contra Reges ex quacunque ratione insurgere, vel auctoritatem contra institutum divinum eiisdem eripere. Tempore divi Pauli, cæterorumque Apostolorum, nemo Regum, fidem Christi amplectebatur; jussu tamen sanctorum DEI hominum, preces pro illorum incolumitate fiebant, omni cultu reverentiæ & obedientiæ ipsis exhibito. Pro facto Gustavi explicando, distingvimus inter Tyrannum *invasione* talem, & *exercitio*. Hic est, qui jure suo præest populo, qui cum Regem excepit, vel per successionem, vel per electionem, dum ad huc bonus erat, deinde malus factus, crudeliter cives tractare incipit, cumque populi damno maximo sævit, fas nefasque per-

perinde habendo. Ille vero est, qui subditos suos dolo, vi, minisque in servitutem redegit, atque libertate spoliavit, adeoque nullo jure, sed malis artibus ad imperium porvectus est. Talis fuit Christiernus, qui postea gentem Svecanam internecioni consecravit, armisque delere voluit, velut non suum; ideoque adfirmamus cum doctissimis Politicis eundem, sive unius, sive plurimum civium manibus, depelli aut occidi potuisse. Interim censendus est talis, suos spoliando & conculcando, seipsum obsequio suorum privasse, ut in repudiando illo, non tam populus adfertæ libertatis habeat rationem, quam Rex adfertæ majestatis ferat culpam. Hic nec prætereundum puto, quod ab iis solum in Sveciam sit vocatus Christiernus, qui partim donis corrupti fuerunt, partim etiam invidiæ & æmulationis stimulis puncti, nihil magis in votis habebant, quam ut inclytum hocce Regnum sveogothicum, hostium versutissimæ succum-

beberet calliditati. Cui rei etiam eò dili-
 gentius studebant Dani, quò certius
 deprehenderent, vix se habere vicinum
 à quo magis timere necessum habeant,
 quam à Sveco, satis bene sibi adversus
 omnes impetus prospectum putantes,
 si Svecorum robur, sibi adjungere pos-
 sent. Sed DEUS qui imperium hoc-
 ce amplissimum instituit, illud eti-
 am clementer pro suà immensâ bo-
 nitate, gubernavit atque conservavit,
 ut frustra vicini, ipsiusexuviis ditescere
 desideraverint, infinitâ illâ sapien-
 tiâ ambitionem moderante. Et quam-
 vis in Regnum aliquod pœnâ constitu-
 tâ, vicino laxat habenas; plerumque ta-
 men gravi exponit calui, aliorum ru-
 inis imminentem, ut videre possumus
 ex infinitis Historiarum, tam divinarum
 quam prophanarum exemplis. Chri-
 stiernus sanè docet clarissimè, modera-
 ta consilia ad gloriam subsistere, am-
 bitionem verò quibusvis fortunæ expo-
 ni ludibriis. Ille enim sicut vitam an-
 te tempus aliis ademit, ita sibi ad seram

ætatem servavit, dum Regno ejectus inter diras & execrationes hominum, inter ex illi & custodiæ Sunderburgensis & Coldingensis angustias, ingratham vitam ad XXVII annos traxit, ut eo longioribus & sæverioribus animi cruciatibus superesset, suaque ipsi flagitia in pœnam verterent.

Thesis V.

Contemptis legibus, oppressus fuit populus Svecanus, hucusque grassata fuit inobedientia, feruerunt seditiones, progressus habuit violentia, omnia adeo crimina, quæ pestilentiaæ instar, Remp. infestare solent, in ruinam imperii Sveogothici consentire visa sunt; Sed universas ferè hæc calamitates, pietate, prudentiâ atque justitiâ amputaverat Gustavus; Ægroto enim facile insultatur, sed non diu nisi mortuo leoni illudunt lepores: Fieri quoque potest ut gens continuo emergere adsveta, non nihil aliquando succumbat, viribus distractis; sed ubi ex deliquio redeunt vires, vix tam grave fingi potest onus, quod fa-

cili negotio non excutti solet. Sic generosissimus ille Leo Svecorum, tanquam mansuetus, in foveâ se includi passus est, & laqueis constrictus recubuit, non quod magnitudinem animi deposuit; Sed quod necessitatem agnovit. Fuit autem huic rerum discrimini plane fatalis terminus, dies ille 17 Julii, anno orbis redempti, M.D.XXIII. tunc enim, postquam ordines Regni Svedici, satis clarè ex tot tantisque præclaris Gustavi actionibus & præludiis grandioribus, deprehendere potuerunt, hunc reverâ illum esse *stipitem*, quò salus Sveciæ niteretur firmissimè, non dubitarunt in comitiis Stregnensibus, per solennia inaugurationis, juramentis utrinque præstitis, eundem REGEM SVECORUM, voce publicâ pronunciare. Hic autem mox notari meretur, quod quamvis in designando Rege, usus sit DEUS O: M: ministerio ordinum, non tamen ab optimatibus, aut Nobilibus, vel aliis subditis, Reges immediatè suam habent

bent auctoritatem majesticam, cum nulla potestas sit nisi à DEO. Nec ullum Fundamentum habere censenda est sententia nonnullorum Politicorum, qui populo & Reip. Majestatem quendam *Realem* affingunt, quâ mediante, peculiariter ipsi competunt jura, ut in ipsius situm sit libero arbitrio Majestatem illam *personalem* tribuere vel adimere, cuicumque illi volupe fuerit. Definiunt autem hujus distinctionis Patroni, *Majestatem personalem*, quod sit *summa & perpetua, legibusque soluta potestas, competens in res & personas sue ditionis*. Sed concessa tali majestate, quæ est summa & legibus soluta, in omnes res & personas suæ civitatis; sanè nullo modo locum invenire potest Majestas illa *realis*, ab altera distincta, absorbetur enim à Personali; Si namque constitueretur majestas illa *realis* in civitate, quæ esset, non dicam, par leu æqualis Majestati *personali*, sed etiam hæc ad normam atque mandatum illius omnes suas

suas perageret actiones; Tum profectò,
 nec negari posse, Regē, in quo, ad mentē
 Pseudo-Politicorum residet tantum
 Majestas personalis, populo subjectum
 esse, & à nutu subditorum suorum,
 qui alterâ & superiori illâ Majestate
 reali gaudent, in omnibus dependere;
 Quod est absurdum. Nec verum est
 quod populo jus aliquod singulare com-
 petat; Nam privilegia, libertates &
 jura quæ habet populus, Regum bene-
 ficia omnino sunt, ipsorumque clemen-
 tiæ acceptum referendum est, quid-
 quid, immunitatis apud subditos reperiri
 unquam potest. Est itaque una solum
 Majestas in unaquaque civitate, summa,
 rectoria seu personalis, quam Rex ille
 Regum, & Dominus dominantium dat
 cuicumque vult, ut habeat summam at-
 que plenissimam potestatem in personas
 & bona civium, non de facto tan-
 tum & consuetudine imperantium, sed
 etiam de jure legitimo; Prout hoc jus
 Regium promulgatum esse I. Sam. 8. v. II.
 & sequentibus, rectè adstruitur. Nec
 video

video, quare tot excellentissimi Theologi & Politici hunc locum interpretari velint, quae absoluta potestas ibi non describatur; cum omnia ponantur in manu Regis, adeoque negatur verbis expressis, quod populus quidquam contra Regem moliri debeat. Nec de aulis Tyrannorum explicari debet hic locus, Nihil enim continet, quod non potest Rex, bono titulo, à subditis exigere, ad Aulae magnificentiam sustinendam, & res omnes, domi forisque feliciter gerendas. Vel quomodo poterunt cives reculare decimas & tributa? vel deserere Regem dum in bellum progreditur? vel seruitia & operas rusticas denegare, quatenus splendor atque dignitas imperii hoc flagitare cernitur? Nec est quod quis regerat, potestatem hanc regiam DEO fuisse invisam, cum DEUS ipse Saulem elegerit, atque populo suo praeposuerit, quem DEUS quoque iussit ungi, quem Samuel reverenter populo commendabat, quem David colebat veluti Domini unctum, denique

D

DEUS

DEUS iuvit in rebus gerendis. Imo
 supremum Numen est qui jubet Reges
 pascere populum in fide & animi recti-
 tudine Ps. 78: 70. regibus quoque da-
 sapientiam ut populo rectè & benè præ-
 sint. 1 Reg. 7: 57. Ps. 72: 12. Hoc au-
 tem DEO displicebat, quod populus
 sanctus, non voluit reddere se conten-
 tum imperio divino, ut scilicet DEUS
 pergeret eò quò cœperat modo, popu-
 lum suum dirigere; sed impatientiâ a-
 liquâ commotus, libertatem à Majori-
 bus suis liberaliter cultam, cum subiectio-
 ne rigorosâ permutare desideraret,
 saltem ut vicinos populos imitaretur,
 resque suas more gentium administra-
 ret. Hic autem dum dicimus maje-
 statem esse absolutam & summam po-
 testatem; Non est mens nostra eandem
 elevare, vel supra Majestatem divinam,
 cujus legibus quemadmodum & natura-
 libus, Rex non minus quam omnes al-
 lii mortales subesse credendus est; Fun-
 damentales etiam leges se servaturum

circa inaugurationis solennia pollicetur. Civiles autem leges, cum nihil aliud sint quam expressa signa voluntatis summi imperantis, circa actus indifferentes quâ tales, ideoque nullo modo Hunc, illis, quoad vim coactivam subesse adfirmari potest. Nisi quis velit statuere, quod agens patiatur à suo instrumento, & idem agat in se ipsum.

THESIS VI.

Quemadmodum umbra sequitur corpus; ita summum imperium seu majestatem peculiaria comitantur jura, quæ per totum corpus imperii lese diffundunt. De his breviter agere nunc placet; quandoquidem illorum cognitio haud parum instituto nostro in sequentibus inservire videtur. Et quamvis hæc jura varia sint, varietate à Politicis dispesci solent; cum tamen duæ sint tabulæ Decalogi, quarum custos summus imperans esse debet, duæ etiam partes hominis essentielles, anima & corpus, duo denique sint genera præcipua

vitæ humanæ, Ecclesiasticum nempè & civile; ideoqve non absq; fundamento, jura majestatis, in duplici collocantur classe, aliaqve dicuntur esse *Ecclesiastica*, alia verò *civiliâ seu politica*. Consistit autem jus Ecclesiasticum, in veram Religionem introducendo, introductam conservando, Scholas & Consistoria instituendo, Episcopos & Ministros verbi confirmando ac sustentando; Festa adhæc precum, & gratiarum actionum solennia ordinando. Politica vero jura partim ad Justitiæ administrationem, partim ad Fiscum, partim etiam ad belligerendi, potestatem pertinent. Patriæ nostræ statui, aliis Rerumpublicarum formis, præcipuè hæcce sunt conformia: Potestas nimirum leges condendi, & abrogandi, judicia ordinandi, jus vitæ & necis, jus cognoscendi de crimine læsæ Majestatis, jus Magistratus constituendi & jurisdictionem tribuendi, adimendique, Feuda concedendi, Dignitates conferendi, E. G. Comites Barones & Nobiles item Docto-

jus

res, Licentiatos & Magistros creandi, jus legitimandi, publicos Cursores instituendi, jus belli indicendi, pacem inveniendi, Fœdera pangendi, legatos mittendi, jus bona vacantia coronæ assignandi, proscriptorum, verò & crimen læsæ Majestatis committentium occupandi, jus angarium, Metallî fodinæ & Thefaurorum inventorum, jus venandi, urbes exstruendi &c. quæ omnia satis clarè ex politicorum scriptis & justissimis regum statutis probari possunt.

THESIS VII.

Ex his quæ jam dicta sunt in The-
sibus hisce duabus prioribus, non difficile erit, ferre judicium de maximè pio illo opere Reformationis, quod sydere felicissimo, post benè constitutam politiam aggressus est, gloriosissimæ memoriæ Rex Gustavus I. qui cum cerneret adhuc dulcissimum nostrum patrium solum, densissimis laborare tenebris, quas sacrificuli quæstus sui & ambitionis causâ, Pietati veræ, miserrimè induxerant, id ægrè ferens, quippe
 qui

qui non libertatis magis, quam Religio-
 nis puræ studiosus fuit, sæpius agebat
 cum ordinibus, ut quo pacto malis il-
 lis obviam iretur, suoque nitori cultus
 restitueretur divinus, seriò deliberarent;
 Sed displicuit plerisque hoc negotium;
 Non pauci clandestinis sacrificulorum
 artibus, exstimulati, probra jacere in
 Regē optimū, & de salute omnium æterna,
 etiam sollicitum cœperunt, quin imo ho-
 stiles minas, arma denique expediebant;
 Tum Gustavus coram omnibus, in solen-
 ni concione, dixit se nolle Regnum tan-
 tā impietate & miserabili superstitione
 fœdum atque inquinatum, proinde Re-
 gem alium eligerent, suis aptum ingeniis,
 sufficere sibi; si privatim vel sine regno,
 summo Numini servire queat. Sed cur ille
 non imperaret, qui non nisi ut serviret
 DEO, imperare cupiebat? ita amore veri-
 tatis à suis præceptoribus Mag. Hen-
 rico Sledorm & Erico Upsaliense, rectè
 inflammatus fuit, ut veritatem Evan-
 gelii, sibi illustratam unicè diligeret
 & incitaretur magis magisque, acceden-

te illuminatione gratiâq; spiritus sancti
 ad continuandum sanctissimum hoc
 Reformationis opus. Præsertim, cum
 recenti recoleret memoria, quomo-
 do Episcopi majorem curam rerum po-
 liticarum quam Ecclesiasticarum ge-
 rerent, idque indultu Papæ, ut videre
 licet ex introductoria epistola Archi-
 episcopo Jacobo transmissa, anno in-
 carnationis Dominicæ, 1469, ubi plenaria
 potestas datur ArchiEpiscopo, non so-
 lum in spiritualibus, sed & in temporali-
 bus. Unde tantâ sibi imaginabatur pote-
 statē ArchiEpiscopus ut sæpe insidiatus
 sit Governatori Stenoni Sturio seniori,
 & per fulmen excoꝛmunicationis eum de
 sede imperatoriâ deturbare conaretur,
 quamvis hic bonæ causæ confisus, non
 movebatur abusu officii ArchiEpiscopa-
 lis. Peculiarem autem operam Regi suo
 in hoc negotio commodarunt, duo be-
 ati Lutheri discipuli, nempè Mag. Lau-
 rentius Petri, & Mag. Olaus, fratres
 Nericienses, qui in Academia Wittenb.
 studiis suis vacarunt, & ex ore Lutheri
 causas

reformati ecclesiam Christi didicerant. ideoque una cum Rege, fidelem instituerunt collationem inter religionem pontificiam & evangelicam; ostendentes, Hanc solidissime fundatam esse in verbo DEI à sanctis hominibus, Prophetis & Apostolis consignato, nullumque aliud Cultum divinum dari, quo ad æternam perducere possimus salutem, imo nullam aliarum Religionum Christianarum, Civitati utiliore esse, hac Lutheranâ; Pontificiam verò, in immensum à præscripto DEI discrepare, & impiis traditionibus papalibus niti. Quam sententiã etiam non multum post, publicâ disputatione, contra Prof. Theol. in Academiâ Upsal. Doct. Petrum **Galle**/ papistam, fortiter defendit, antea nominatus Mag. Olaus Petri Nericius; Adeo ut Rex auditâ hac disputatione, ita in piissimo suo proposito est confirmatus, ut mox curaret primum Aulam suam reformari: Deinde comitatus doctissimorum ministrorum evangelii, generalem instituit visitationem, in quâ quam diligentissime instrui curavit cives suos in ve-

râ cognitione DEI, deq; ipsius universali
 gratia, merito Christi, cæterisque ar-
 ticulis fundamentalibus; seduloq; vani-
 tates pontificias, larvis detractis, detexit.
 Deinde acta in templo agenda, in sveti-
 cum Idioma transferre jussit. Psalmos
 Davidicos in Rhythmos componi, & in
 Ecclesiis cantari. Biblia sacra in linguam
 vernaculam verti, initio facto â N. T.
 utpote quod summam ac fundamen-
 tum Evangelii, quàm clarissimè expli-
 cat atque proponit. Externas autem
 ceremonias, quæ cultum divinum, non
 per se constituunt, neque præcipuum
 locum, in negotio salutis obtinent, ne
 simpliciorum conscientias laceraret,
 quantum sine impietate & Evangelii
 contemptu fieri posset, in Ecclesiis to-
 leravit. Religionem autem hanc ve-
 ram atque salvificam, quemadmodum
 feliciter, peculiari summi Numinis au-
 xilio in patriam introduxit; ita etiam
 illam defendebat & propagabat usque
 ad finem vitæ suæ, ut patet ex iis quæ
 acta sunt in Comitibus Arthosiensibus 1544

Arbogensibus. 1546. Decretis Ecclesiasticis, editis 1554. Et denique ex religiosissimo ipsius Testamento, quod approbatum est, Anno 1560, die 1 Julii. Semper autem cum in hoc occupabatur negotio, pio observavit animo, Reges nullum habere jus, seu dominium in subditorum conscientias, quod DEUS sibi soli reservavit; ideoque nullis cædibus, nullaque violentiâ, orthodoxam introducere studebat religionem; sed ad mandatum spiritus sancti, Ezech. 3. v. 4. 5. dixit civibus suis viam domini, & sic liberavit animam suam. Murmurabat quidem Clerus, non parum, magnosque excitabat tumultus, videns statum ordinemque suum, ad longè majorem obedientiam, Regibus suis, post illa tempora, præstandam, quàm antea factum fuit, adstrictum iri. Nec cogitabant Ecclesiastici se potestati principum subjectos esse, cum tamen non solum, Divus Paulus, sed & ipse Salvator mundi, agnovere se jurisdictione illorum teneri; Hinc salvator ad Pontium

tium Pilatum dicit, post agnitam auctoritatem: Nullam ipsi fore potestatem, nisi eam, cœlitus haberet. Sic quoque prænominatus Paulus, sese æstimat beatum, si humilitatis vestigia, quæ Magister reliquisset, premere posset; cum non ad Divum Petrum, sed Cæsarem, à tribunali Festi, appellaret, quod Cæsaris potestatem & Majestatem, in causa quæ tunc agitabatur agnosceret.

THESIS VII.

Plurimas quidem factiones & bella civilia excitarunt (ut fieri in perturbato adeò rerum statu solet) sub hoc Rege ambitionis filii, & capita ad tumultus proclivia, inter ea tamen maxima fuerunt, & Reip: maximè nocuerunt, duo, nimir: prius Dackianum, alterum apud Dalakarlos. Quod prius attinet. Nicolaus quidam Dacke, postquam incrementa maxima cepisset, nescio quos Regios honores sibi imaginabatur, concilio & auxilio, non solum Cæsaris, sed

& Alberti, Ducis Megapolitani, Bern-
 hardi Mylii, ArchiEpiscopi Johannis
 Swijnfoot/ Olai Beronis, Lubecensium
 & aliorum: Qui etiam operam suam
 eidem ex parte addixerunt; sed tandem
 immanissimum scelus debito luere supli-
 cio cogebatur latronum hic princeps,
 dum à Raphaële Petri ejusque sociis,
 in sylva Rodbyensi circumventus, &
 telo transfixus, Calmariam abducitur,
 inque quatuor partes dissectus, im-
 ponitur rotis, capite coronâ cupreâ
 honorato. Quamvis alii dicant illum
 eundem captum, & in crucem actum
 fuisse. Seditioni verò apud Dalakarlos
 Ducem se præbuit Nebulo quidam, i-
 gnoto patre, natus in Paræcia Byrke-
 stad & Territorio Tiurbo/ qui etiam
 dignitatem Regiam se aliquando con-
 secuturum fore sperabat, quò autem
 facilius summâ rerum potiretur, finxit
 se esse filium Stenonis Sturii; Sed post-
 quam & ille multum damni attulisset
 Reip. è Patria profugus, pervenit Ro-
 stochium, quò etiam Rex ablegavit
 secre-

Secretarium suum Wolfgangum Sy-
 ler/ â quo fictus ille Sturius accusatus,
 capite plectitur. Talem itaque exitum
 habuerunt, hi duo nequam, qui omnem
 vim, latrocinia & incestas libidines, le-
 gum & pudoris habenas nihili habentes,
 exercuerunt. Venatores ut Panthe-
 ram capiant, aconiti manipulum quò
 fera mirè delectatur ex alto suspendunt,
 ut assultu illum assequi nequeat, sed illa
 ex aspectu tanto inflammatur desiderio
 potiundi, ut subsultibus continuis, tan-
 dem exspiret; eodem certè modo for-
 tuna de ambitionum vanitate trium-
 phatura, victorias opesque viribus e-
 orum superiores proponit. Hinc illo-
 rum summi conatus, nihil aliud sunt,
 quam tricæ temerariæ, quibus statim
 implicantur atque succumbunt illorum
 inventores, ignominiâ pro picturâ glo-
 riæ repertâ. Laborandum itaque quam
 diligentissimè, ut ejusmodi factiosi ad
 impotentiam redigantur, prorsusquam mi-
 nimâ nanciscantur auctoritatem; Sed ubi
 eam adepti sunt, vinculis veris solidisque
 ad

ad Principis emolumentū restringantur. Populus enim sine Duce hederam imitatur, cujus rami à stipite separati, arctius inter se cohæerentes, humi serpunt, nullumque fructum ferunt. In populo autem cohibendo, non parum prudentiæ requiritur, quamvis enim nullius motus quem attendas, ex se capax sit, ingentes tamen suscipit, quotiescunque libidini, seditiosi alicujus cerebelli, cujus nutum sequatur, sese permittit. An vero & quomodo supplicia de factionis sumi possint? facile definiri non potest: Certum tamen, est quod interdum intempestiva sit in rep. omnis misericordia, quâ pæna, potius quam scelus differtur, ubi in summo flagitiosorum hominum exemplo, laborat suprema Regis aut Reip. fortuna: & qui ad clementiam flectitur in tali casu, malè judicat de pace publica & Majestate, cui omnia, etiam maxima, subjecta esse, judicare debent prudentes. Interdum verò juvat plura scire quàm exequi, & sæpe

sæpe providere utilius est, quàm post culpam, aut ob cogitam, pœnam reo inferre. Meditam enim ab aliis culpam sæpe sistit, qui ut cognitam, ita non creditam ostendit: cognitam ut ab eâ abstineatur; non creditam, ne injecto pœnæ metu, desperatione ad eam exequendam facinorosi impellantur. Periculosum igitur est, viam accusatoribus præcludere: aperire etiam omnibus adversus omnes, & quovis tempore, nonnunquam est periculosius, & mala incendit maxima. Sunt enim quibus metu accusationis & pœnæ satis esse videtur hostes esse Reip: quàm Reos appellari. Sed quid ego in hisce diu commoror? cum impossibile sit nominare tot media, quot alias adhibere solent pii atque prudentes Imperatores, in Regnorum tumultibus sedandis.

THESIS VIII.

Tot tantisque beneficiis, quæ gloriosissimus Rex, genti Svæcanæ, tam in civilibus, quàm Ecclesiasticis seu spiritualibus præstiterat, fideliter perpetu-

fis, maturo atque saluberrimo consilio,
 à clementissimo Rege, ordinibusq; regni
 omnibus & singulis, statutum est, ut
 Reges ad Thronum regium regni Sve-
 dici, non per *electionem* ut ante illa tem-
 pora factum fuit; sed per *successionem*
 ascenderent, & Rege mortuo, maxi-
 mus natus filius celsissimus princeps E-
 RICUS, velut legitimus & primogeni-
 tus hæres, per successionem Rex con-
 stitueretur. Quod decretum de le-
 gitimâ Regum filiorum primogenito-
 rum in lineâ virili successione, omni-
 bus suis posteris fydere felicissimo, di-
 ligenter commendarunt, ut videri po-
 test, ex Recessu Orebroensi, & unione
 hæreditariâ regni Sveciæ facta Arhosiæ
 Anno 1544. 13. Jan. renovata & red-
 integrata Norcopiæ, 1604. indeq; Hol-
 miæ Anno 1627. & Decret: Holm: Anno
 1650. Nec non ex Testamento Regis
 Gustavi. Ex hac occasione nonnulla
 dicenda sunt de hisce duabus speciebus,
 perveniendi ad Remp: *Electione* scil: &
successione, utra tutior sit & reip: utilior,
 ideo-

ideoque alteri præferenda sed tot sunt discrepantes sententiæ, tamque potentes ab utrâque parte Patroni, ut vix liqueat, quid in tanta difficultate sentiendum sit. Sine tamen ullius præjudicio, nos putamus & dicimus modum in regno aliquo diu & feliciter retentum & legitime introductum, non facile sine prægnanti causa esse mutandum. Interim successionem Electioni præferendam esse adserimus: primo, quia ex historiis patet hanc esse antiquissimam. 2. Eâdem sceptrâ optimè firmanitur, orbitas enim spernitur. 3. dissensiones & bella civilia vitantur, rarissimè enim videas imperium ad alium stirpem familiæ transire, sine magnis motibus. 4. Reges futuri, ab incunabulis, ad hanc spem ita educantur, ut ad imperii habenas aptiores fiant. 5. Major auctoritas est eorum, & minor invidia, qui in cunis adorari cœperunt, quam qui subito è privatis evehuntur. 6. denique quia apud plures populos semper in usu fuit successio potius quam electio: & quæ sunt alia longè

gè graviora argumenta, quæ pro hac sententiâ adferri solent. Concludinus itaque hanc paragraphum, illo Taciti: minori discrimine Rex sumitur, quam quæritur.

THESIS IX.

Blanditur quidem mundus sensibus, sed tamen omnem gloriam metet mors; terra floribus modo variegata, mille odorum differentiis jucunda, plantarum diversitate superba, gravi messe dives, post pauculos menses, omni gratia evanescente, tristis, nivibus, grandine, aquarum diluvio, gelu obducitur, horret, mergitur: sic Regum maximi tandem in morte, serenissimum suum deponunt splendorem. Hæc piè considerat Gustavus senio confectus, itaque pio & devoto animo sese præparat ad mortem, & vi testamenti, juxta adprobata Unionẽ ac successionẽ hæreditariã, primogenito suo filio Erico Regnũ administrandũ comisit, cui succederẽt, volente DEO, suo tempore, legitimi ejus hæredes masculi. Secundo genito Johanni, cum

cum sua prole legitima, ordinavit Ma-
 gnum Ducatum, Finlandiæ regendum:
 Filios autem reliquos eorumq; Magnum
 Ostrogothiæ, Carolum Sudermanniæ,
 Nericiæ & Wermlandiæ præposuit,
 omnibus deniq; suis hæredibus Regni-
 que Civibus, anxie dedit in mandatis,
 ut orthodoxam Religionem, à se in Pa-
 triam introductam & confirmatam, ad
 finem utq; vitæ inviolatam conservarent,
 defenderent posterisq; commendarent;
 hisce peractis, ordinibus regni, abitu
 tanti Regis impensius doletibus valedi-
 xit, atq; DEI tutelæ cordicitus insinuavit
 in Com:Holm. i. Julii. 1569 & paulo post,
 die nimir. Michaelis, postqvã tenuisset
 clavum imperii 39 annis; mortalitatem
 inter sanctas preces, leniter exiit, an-
 num ætatis agens præter-propter 70.
 quod sanè curriculū vitæ valde angustū
 est, si rerum gestarum respicias molem:
 ingens proinde Sveciæ reliquit de-
 siderium, quod profectò, solatium
 non invenisset, nisi perpendisset Mo-
 narcham adeo incomparabilem & divi-
 num

num, potius cælo, quam terris, deberi. Die autem S. Thomæ, cum duabus suis conjugibus, Uplaliæ in templo primario, quemadmodum testamento suo præceperat, regiis exequiis & omnium bonorum luctu & gratissima memoria est honoratus. Essent quidem longe plurima in actis gloriosissimæ memoriæ hujus Regis, quæ ulterius observari mererentur; sed quandoquidem decrevimus, tantum potiora attingere momenta, itaque speramus nos, institutum nostrum quodammodo implevisse; voto itaque concludimus. ut velit pro immensâ suâ gratiâ, DEUS O. M. Sanctissimæ hujus religionis puritatem, quam beatissimæ memoriæ Rex Gustavus I. una cum Reip: libertate, Patriæ nostræ restauravit, cæterique Reges, ipsius Successores, peculiari pietatis zelo, defenderunt atque propagarunt, nobis nostrisque posteris sartam tectamque conservare usq; ad interitum mundi!

SOLI DEO GLORIA!